

suam agendi virtutem egredi vel præterire non possunt.  
 Hinc Physici docent, omne agens non nisi intra Sphæram  
 Activitatis suæ agere: & quare hæc sphæra agentium na-  
 turalium finita sit, virtusque agendi sensim debilitetur,  
 egregie explicant. Ajunt siquidem substantiam ex agente  
 corporeo effluentem corporibus obviis motum suum com-  
 municare, adeo ut demum quiescat ipsa. Et quando-  
 quidem eadem substantia effluens in ipso a corpore egres-  
 su densior est & compressior, quam in majori elongatio-  
 ne, ubi sese magis magisque dilatatur; ideo & fortior est,  
 ubi primum erumpit, sensimque eundo virtus illius immi-  
 nuitur. Hæc si quis ad pulveris sympathetici effuvia ap-  
 plicare voluerit, videbit statim eorum exiguum esse quan-  
 titatem, unde quoque eandem per tot milliarium spatium  
 profecta effectum edere non posse, ipse confitebitur. Qua-  
 propter non injurii sumus in sæpius citatum Pulverem sym-  
 patheticum, ejusque defensores, quando ejus applicationem  
 antea recensitam naturali philosophiæ aduersari aperte di-  
 cimus. Verum enim vero, his nostris prolatis sese oppo-  
 nunt memorati modo Pulveris Sympathetici defensores  
 ac Patroni, viresque illius summis extollunt laudibus,  
 quippe de quibus sæpius exoptatus ac subsecutus fuerit te-  
 status Effectus. Non enim una factum esse vice, ut hæ-  
 morrhagiæ narium, aliquot sangvinis guttulis pulvere hoc  
 exceptis fuerint suppressæ, vel gravissima vulnera ope ejus-  
 dem remedii multis milliaribus ab his remoti, sanata. At  
 vero, quod ad primum attinet, Hæmorrhagiam narium  
 non ab effluviis pulveris sympathetici fuisse suppressam,  
 sed aliis causis naturalibus ejus suppressionem esse adscri-  
 bendam audacter asserimus. Ut enim nihil dicamus de  
 impossibilitate introitus effluviorum, eo momento, quo  
 sangvis ex apertis narium stillat arteriolis venulisque, hoc  
 saltim monebimus, ipsum sibi sangvinem præcludere viam,  
 aggeremque sibi ponere glutinante scil. sua natura, ratione

D 2

par-